

TOMUS XXXIV.
MISCELLANEOUM.

~~G. V. f.~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

V-45.

SIGNAT. MDCCCXIII.

6 bände:



THESES THEOLOGICÆ.

DE
SAPIENTIA
CHRISTIANA,

DE QUIBUS IN PUBLICA DIS-
PUTATIONE SUB PRÆSIDIO
DANIELIS TOSSANI S. THEOLOGICÆ

D. ET PROFESSORIS RESPONDEBIT, E-

ruditus inuenis, Theologia studiosus, & Ele-

ctoralis collegij (quod Sapiëntia vo-

cant) alumnus,

Adolphus Hanzelerus Morsensis.

In Auditorio Theologico

Ad diem IX. Aprilis.



HEIDELBERGAE
Typis Christophori Leonis.

An. MD. CXXVII.



PIIS ET ERVDITIS IUVENIBVS, VERÆ SAPIENTIÆ

studiofis, in Electorali collegio, quod
DOMVS SAPIENTIAE appellatur. S.

Nemo est (ut arbitror) iuvenes lectissimi, qui non videat, me nihil alienum facere, quod theses has nostras de SAPIENTIA vobis inscribo, qui eam nominatim colitis: & ut id faciatis, monet locus ipse in quo habitatis: monent praeceptores vestri fidelissimi & sapientissimi: monet expectatio quam sustinetis: monent exempla tot praclarorum virorum, qui ab annis iam quadraginta duobus (tot enim anni à prima fundatione nunc numerantur) ex vestro collegio prodierunt, & vera sapientia laudem magnam in Ecclesiis consecuti sunt. Caterum peculiarem habeo huius meae inscriptionis rationem: Nam cum tota hac hyeme, grassante apud nos morbo epidemio, attentos & constantes vos habuerim lectionum mearum auditores, & psalmos imprimis poenitentiales mecum sitis meditati, ac inter alios quinquagesimum primum, in quo Sapiëntia illius, quae est in occulto, sit mentio: operae precium mihi est visum, extare aliquod monumentum non solum sedulitatis vestrae: verum & admiranda Dei providentia, qua cadentibus (ut ita dicam) mille à dextris, & mille à sinistris, totam vestram communitatem intactam ab illa lue clementer servauit: quo nomine merito σωσπὸν & χαεῖς ἡεῖοῖς ipsi debetur: Nullum autem gratius ei persolvere possumus, quam si noveramus cum Psalte, psalm. 85. nos non redituros ad stultitiam. Et cum viro illo Dei Mose postulamus, ut sic nos Dominus doceat numerare dies nostros, ut animum ad SAPIENTIAM adijciamus. Valet. Pridie Paschatis. 1597.

D. Toffanus





THESES
DE
SAPIENTIA CHRISTIANA.

I.

Habet Deus omnino propriam hanc laudem, quod SOLVS SAPIENS est, iuxta illud Rom. 16. *Soli Sapienti Deo gloria*: nimirum essentiali & sibi coæterna increataque sapientia: & quia omnis sapientiæ, ut & omnium aliorum eximiorum donorum autor est sapientissimus, idemque largitor benignissimus, Iac. 1. u. 5.

II.

Nobis autem in præsentia sermo est de creata illa sapientia, quam Deus Optimus maximus non minus ac alia dona Ecclesiæ & Reip. necessaria hominibus communicat, & pro sua voluntate alijs plus, alijs minus impertiri solet, in hunc finem, ut eum agnoscamus, agnitum colamus, & ad uitam beatam perueniamus.

III.

Rectè enim Lactantius ille Firmianus, Ne te omnia scire putes, quod est Dei: nec omnia nescire, quod est peccudis: Illi, (inquit) scopuli fuère plerorumque Philosophorum.

Lib. 3. inst.
cap. 2.

IV.

Haudquaquam tamen nostri est instituti de Sapientia in genere differere, quæ rerum tum diuinarum, tum humanarum scientiam complectitur: Et Sapiens (ut rectè

In init.
Prouerb.

monet Basilius) multis modis etiam in Scripturis dicitur:
Exod. 36. Nam & artifices Tabernaculi à Sapiaentia prædicantur: &
Ierem. 4. non sine Catachresi dicitur: Sapientes sunt ad
malefaciendum, benefiaciendi ignorantes.

V.

Sed de ea SAPIENTIA nunc agitur, quam peculiari do-
no, & arcano quodam modo sibi infusam testatur David,
Psal. 51. 6. quæ nos scire facit in terris ea, quorum cognitio manebit
& augebitur in cœlis, & ad vitam beatam planè est ne-
cessaria.

VI.

Hanc ignorarunt Philosophi, & quicumque sunt extra
Lib. 3. & 4 Ecclesiam, & si qui inter Philosophos, (inquit Lactanti-
Instit. us) sapuerunt, illi se non tam sapientes quàm sapientiæ
Pytagor. cupidos, vel etiam se nihil scire, ingenuè professi sunt.
Socrat. Quomodo enim, (ut scribit idem autor) sapientes esse po-
tuerunt, qui quid uera sapientia esset, ubi & quomodo
quærenda, ignorarunt?

VII.

De vera igitur SAPIENTIA dicturi, considerabimus &
quid illa sit, & ubi quærenda, & quibus gradibus ad eam
perueniatur: qualis sit in hoc mundo, qualis in futura ui-
ta: quantus denique eius usus, & quàm studiosè & à Deo
postulanda, & excolenda sit.

VIII.

Sapientia Christiana est talis scientia, qua non solùm
1 Cor. 1. diuinitus illustratur mens, ut Deum norit, & eius volun-
tatem intelligat beneficio Christi, qui est sapientia Patris,
& nobis factus est Sapientia, id est doctor noster, qui my-
steria regni cœlorum nobis enarravit: Verum etiam à
Spiritu Christi regitur homo, & deducitur in viam rectam
proficiendo in dies, ac flectitur ad omnia pietatis officia
erga Deum & proximum quantum in imbecillitate huius
vitæ fieri potest, donec & perfectam illam scientiam, &
cum perfecta scientia vitam æternam adipiscamur.

IX.

Quod

III

Quod si quis breuem definitionem requirat, non malè
definietur SAPIENTIA, facultas homini regenerato à Deo
data, ut à malo & à falso cauere, bonum atque verum se-
qui, idque amplecti possit. Vide Iob. 28. u. 28. Prouer. 2.
Ose. 14. Iac. 3. u. 13.

X.

Nam illa verè STULTITIA in Scripturis censetur, quan-
do homines à Diabolo infatuati, & à suis libidinibus de-
mentati, loco boni malum, & pro rebus solidis ac veris,
umbras & laruas conseruantur, & extra viam currunt, ina-
nique se labore fatigant, imò in præcipitia ruunt.

Psal. 49.

13.

Pro. 1. 7. 22

Esa. 47.

XI.

Tales sunt homines non regenerati, vel Spiritum S. ex-
tinguentes, ut de Philosophis scribit Apostolus, cum se
profiterentur esse sapientes, stulti facti sunt: & in genere
de huius seculi sapientia, cam apud Deum stultitiam esse,
scribit 1 Cor 3.

Rom. 1.

XII.

Innumeris exemplis, (inquit Basilius) doceri potest,
quam sit inane humana sapientia excellere, & quàm exile
ac humile sit potiùs, quàm magnificum aut sublime: Ne
itaque gloriatur Sapiens in sapientia sua, ut monet Ierem.
cap 9. Sed qui gloriatur, in Domino gloriatur.

Sermon.

de Humil.

XIII.

Et illa, procul dubio, est grauissima pœna quæ lapsum
hominis est consecuta, quod tantè insipientiæ & vanitati,
imò fatuitati obnoxium est genus humanum, ut rebus
turpissimis, inanibus & falsis delectetur, & Deum suum
omnis sapientiæ fontem non solùm ignoret, verùm etiam
contumelia afficiat, ut non temerè scribat Augustinus,
HANC STULTITIAM maximum esse vitium, & quasi viti-
orum matrem.

Lib. 3. de

libero ar-

bitr.

XIV.

Hinc quippe idololatria, hinc magica & curiosæ artes,
hinc præpostera & infelix Rerum pub. nec non & familia-
rum gubernatio, quando nec ad Dei verbum, nec ad eius
gloriam

gloriam, nec ad proximi utilitatem respicitur, sed ad fatuas & insulas carnis cupiditates omnia referuntur.

XV.

Gradus tamen certos STULTITIÆ, (huius nimirum, de qua loquimur) facere videtur Scriptura, distinctis utens vocabulis. Nam impijs, petulantibus, aut grande facinus committentibus tribuit NABALAH, fatuitatem: quam Germani Thorheit proprie vocant. Alijs verò peccatoribus in genere, & ductum Spiritus S. non sequentibus (quod ipsis quoque electis non rarò accidit) CHESILAH, & IVALAH, insipientiam, Germ. vnuerstand / vel vnwissenheit: quanquam hæc vocabula aliquando confunduntur.

Psal. 14.

Pf. 38. & 85.

XVI.

Neutra interim excusationem habet coram Deo: quia licet etiam ante lapsum multa ignorarit homo, & ignorantia quædam sine peccato esse possit: Sapientem tamen non minùs quàm iustum & sanctum condidit primò Deus hominem; & sponte insanire malunt hominum plerique, quàm Deo nos ad Sapientiam reuocanti aures commodare: Vide Prou. I. u. 22.

XVII.

Et agnoscit Dauid per Dominum Deum non stetisse, quin circumspectiùs & sapientiùs vitam suam institueret, & ab adulterio atque homicidio abstineret, cum à primis annis Dominus ipsi mysteria salutis patefecisset, & in cordis abdita & penetralia sapientiam instillasset.

Psal. 51.

XVIII.

Non ergo nobis adnascitur illa sapientia: (sumus enim natura proni ad malum & ad vanitatem, alieni à bono) Sed est planè cœleste donum: ut Christus ipse docet his verbis: Omnis scriba edoctus in regno cœlorum: id est, omnis doctor cœlitus edoctus, & cœlesti sapientia præditus, est instar industrii œconomi, & patris familias, qui & veteri & noua annona, ac supellectile est instructus, & nouit quando & quibus hoc, vel illud promere debeat.

Mat. 13.

XIX.

Sapi-

14

Sapientiam etiam illam à certis adiunctis describit nobis Iacobus, dicens illam *supernè descendere, & per bona opera, mansuetosque & sedatos mores sese demonstrare*: eamque terrenæ, animalis, demoniacæ, quæ homines turgidos, liuidos & contentiosos reddit, & à D. Paulo falsò nominata scientia uocatur, opponit.

XX.

Hæc Sapientia etsi à Dei Spiritu infunditur, & formatur in nobis: quo nomine D. Paulus Ephesijs *Spiritum Sapientia* precatur: in verbo suo tamen singillatim ea nobis patefecit, quæ ad veram illam sapientiam, & sapientiæ officia pertinent: Vnde hæc verba Dei ad populum suum: *Observate hæc mea statuta, & iudicia: Nam hæc est sapientia vestra & prudentia vestra coram omnibus populis.* Et Psal. 119. *Inimicis meis sapientiozem me reddunt præcepta tua.* Et Ierem. 8. *Verbum Iehouæ abiecerunt, cuius rei Sapientia esset in illis?*

XXI.

Nec longis, aut molestis ambagibus ad hanc sapientiam peruenitur: Quanquam enim Augustinus septem gradus numerat quibus ad veram Sapientiam perueniri queat: ad longè pauciores illa omnia reuocari possunt, nempe ad hos quatuor gradus:

XXII.

1. Reuerentiam Iehouæ, siquidem malitiosam animam non ingreditur sapientia: & initium Sapientiæ est timor Domini. 2. Humilitatem, quæ & suam ignorantiam ac imbecillitatem agnoscat, & à Deo demissè postulet, quod sibi deesse videt. 3. Sedulam meditationem & peruestigationem doctrinæ Iehouæ, quæ sapientiam adfert imperitis, & ad salutem sapientes reddere potest. 4. Desiderium ingens adipiscendæ sapientiæ, ut non obiter ei studeamus, aut frigidè: sed exemplo Dauidis ex toto animo eam quæramus, illa nos oblectemus, multisque millibus aureorum & argenteorum nummorum eam anteponamus; vel, ut hortatur Salomon, *tota acquisitione nostra eam* acqui-

Iac. 3. v. 13.

1. Tim. 6.

Eph. 1. v. 17

Deu. 4.

Lib. 2. de
doctr.
Christ.
cap. 7.

Sapient. 1.
Prou. 1.

Psal. 119.
2 Tim. 3.

Psal. 119.

Prou. 4.

acquiramus, id est, omnia ad illud studium conferamus, nec ab illo studio desistamus.

XXIII.

1 Cor. 2. Nec est quòd de inuenienda Sapientia ideò desperemus, quòd D. Paulus *Sapientiam inter perfectos* se loqui profiteretur, nos autem à perfectione procul absumus: vel quòd eam ait esse latentem, & in mysterio occultam, quam **NEMO** principum huius seculi cognouerit.

XXIV.

Phi. 3. v. 13. Ibi enim primùm per **SAPIENTIAM**, in specie intelligit Christi cognitionem, & doctrinam Euangelij, quæ naturâ quidem nobis est incognita, sed tamen à filio Dei enarrata, & per Spiritum eius reuelata, sicut ibidem docet Apostolus. Deinde *perfectos* vocat phrasi Hebraica non absolutè perfectos, in quibus nullus sit defectus, sed homines integros, sinceros & iam imbutos principijs religionis, quibus opponuntur animales homines, mundani, hypocrite, & similes. Denique illa negatiua **NEMO** principum agnouit, $\chi\tau\iota$ est intelligenda, de ijs, qui Christum crucifixerunt, & de non regeneratis.

XXV.

Lib. 3. cõt. hereses. cap. 2. Hic autem pro interpretatione, & recto intellectu illius loci ad Corinthios reticere non debet Irenæi vetusti admodum Lugdunensis Episcopi censura: qui nonnullos hæreticos verbis illis D. Pauli, Sapientiam loquimur inter perfectos, abutentes (ut & nostro tempore tales extitere) reprehendit, qui per sapientiam certas traditiones secretas non per literas, aut scripturam, sed viua voce traditas intellexerunt: ut homines à reuelata doctrina ad somnia, & hominum præstigias traducerent.

XXVI.

1 Cor. 13. Act. 20. v. 27. 1 Joh. 3. Cæterum facilè confitemur, scientiam & Sapientiam nostram in hac caduca vita esse ex parte ut loquitur idem Apostolus: non quod nobis totum Dei consilium de rebus ad salutem necessarijs non sit patefactum: verùm respectu nostri captus, qui non omnia capere potest, & comparatiuè

tiuè præ illa sapientia, qua præditi erimus videntes Deum 1 Cor. 15.
sicuti est, & quando ipse erit omnia in omnibus.

XXVII.

Nam & in hoc mundo gradatim & sensim proficimus, 1 Cor. 3. v. 1
Eph. 4.
1 Pet. 2. v. 2
Col. 2. v. 3.
sumusq; initio puerorum & infantium instar, donec paulatim adolescat in nobis Christus in quo sunt thesauri sapientia.

XXVIII.

Neque tamen ab hac Sapientia Christiana ulla ætas excluditur, ac si in adolescentiam, vel pueritiam non caderet, quemadmodum Philosophi putarunt, & inter alios In Oratio.
pro cœlio.
Cicero scripsit, *Sapientiam non cadere in adolescentiam.*

XXIX.

Non enim vel sapientia, vel fides nulla Deo censetur, quæ sit infirma: nec ab ætate, industria, & experientia humana hæc sapientia paratur, sed à Dei gratia, & Spiritus eius, qui ubi vult spirat, participatione.

XXX.

In illa autem vita, ut erit gaudium sine mœrore, vita sine morte: Sic scientia & sapientia sine errore, & contemplatio sine speculo, cum Dei visione & fruitione.

XXXI.

Ibi Sapientia, quos primò laboriosis exercitationibus quasi alligauerat, & edomuerat, solutos & liberatos æternis amplexibus beabit, ut loquitur Augustinus, epistola ad Lætum.

XXXII.

Quantus porrò in hac vita Vsvs sit Sapientia Christianæ, dici non potest, & per consequens, quantoperè nobis expetenda.

XXXIII.

Nihil enim ad salutem iuuat reliquas disciplinas, artes, scientias discere, nisi hæc præeat & præluceat: Fatigant illæ corpus & animum, hæc totum hominem mira lætitia perfundit: Relinquunt illæ hominem in morbis, erumnis, in morte dubium: hæc sola inuictum seruat animum, & custodit ad vitam æternam.

B

XXXIV.

XXXIV.

Si quis obijciat : Atqui Daud, qui illam sapientiam occultam didicerat à Spiritu sancto, & ea fuerat imbutus, ut & Salomon summus Sapientiae præco & exemplar, in turpitudines summas, summamque stultitiam inciderunt, Ergo non videtur magnus esse Sapientiae usus.

XXXV.

Respondemus fallaciam esse accidentis, ut si quis colligeret, nullum esse pecuniarum usum, quòd ijs multi ad perniciem utantur, vel bona omnia dilapident. Est usus Sapientiae, sed excultæ, sed custoditæ: Nec illi magni viri dum Sapientiam secuti sunt, in illa flagitia inciderunt: verum dum à sapientia monstrata, cognita, professa aberrantes, ad fatuitatem & stultitiam illam natiuam regressi sunt, & sapere inceperunt, quæ sunt carnis, non quæ sunt Dei.

XXXVI.

Quod tamen ita fieri patitur Deus in Electis, ut licet extinguant sapientiae *ἐπέσταν*, non tamen eam planè amittant, sed ab ea rursus excitentur, & in viam reuocentur, ut Daudi accidit, & nonnulli eruditi Salomonem pertæsum suæ recidiuæ stultitiæ ac resipiscentem Ecclesiastem conscripsisse arbitrantur.

XXXVII.

Salomonem tamen plerique veterum reiectum planè & reprobatum fuisse putant: licet id durum videatur. Tertullianus lib. 3. aduersus Marcionem, *Reijcitur Salomon, sed iam à mulieribus alienis possessus, & idolis Moabitaram, & Sidoniorum mancipatus*: Et Cyprianus in epistola ad Rogatianum, & cæteros confessores. *Parum est adipisci aliquid potuisse, plus est quod adeptus es, posse seruare. Nec statim consecutio, sed consummatio hominem Deo seruat: Salomon & Saul, & ceteri multi, quamdiu in vijs Domini ambularunt, gratiam sibi datam tenuerunt: recedente ab ijs disciplina dominica, recessit & gratia.* Perseuerandum ergo est. Et Augustinus in Ps. 126. *Salomon mulierum amator fuit, & reprobatus est à Deo:*

VIXX

nec ideo

nec ideo tamen eo cadente, (inquit Augustinus) cadere debent, quæ per illum dicta sunt: quia bona quæ dixit, à Deo sunt: peccatum homini est asscribendum.

XXXVIII.

Hæc, inquam, Patres de Salomone: quanquam Irenæus Lib. 4. cõt. existimat Salomoni & alijs patribus, qui ante mortem her. c. 45. Christi lapsi sunt, curationem peccatorum fuisse mortem Christi, & per eum eis peccata remissa: post Christum passum & reuelatum tam facilem veniam non expectandam: quæ Irenæi sententia non admodum magno fundamento nititur: ideo eam suo loco relinquimus.

XXXIX.

Manet, manet omnino Sapientiæ suus honos, licet non omnes, qui eam profitentur, verè sapiant: sicut & Sol non ea omnia, super quæ splendet, calefacit.

XL.

Et aliud est docere sapientiam, aliud eam factis & moribus exprimere. Quotusquisque enim Philosophorum inuenitur (inquit Cicero 2. Tusculam) qui sit ita moratus, ita animo ac vita constitutus, ut ratio postulat? Nonne cum eorum vita mirabiliter sæpe pugnat oratio?

XLI.

Nec temerè certè hodiè deplorant pij omnes, nulla stolidiora, & magis insulsa scripta singulis ferè Francofurtensibus nundinis prodire, & per Germaniam non sine dedecore Euangelicorum & remora cursus Euangelij, spargi, quàm nonnullorum, qui se lumina & columina Ecclesiarum esse putant & VBIQUE dominari, virgulamque censoriam in quoslibet sumere præsumunt: atque interim phantasmata sua, miras & meras ἀνιδρογίας de mysterijs obtrudunt, atque etiam pro idolis, exorcismis, varijsque superstitionibus acerrime pugnant.

XLII.

Respublicas quoque non aliunde pessundari passim quàm ex cotemptu veræ Sapientiæ, & nimia præposteræ illius & Diabolicæ sapientiæ (quam hodie Machiauell-

cam vocant) admiratione omnium temporum experientia docuit, & docent, proh dolor, hodie nimis multa exempla, desipere planè reges & principes, seseque & suos subditos in exitium præcipitare, quando falsis adulatorum, & scurrarum hypothesebus, carnaliq̃ue sapientiæ, potius quàm integrorum & cordatorum uirorum consilijs aures patefaciunt.

XLIII.

Valeant ergo, & procul faceffant politica, nescio quorū, axiomata, qui in pace, & rebus tràquillis meliorem partem: rebus dubijs & turbatis fortiorem sequendam putāt.

XLIV.

Valeat potius apud nos illud Ciceronis lib. 7. epist. ad Attic: VT bos armenta: sic ego bonos viros sequar, etiamsi ruant: in quo proposito, si permansisset Cicero, non fuisset ei sub vitæ finem exclamandum, O me nunquam SAPIENTEM.

XLV.

Sapientia enim verò, sed diuina & cœlesti, qualem descripsimus, domus ædificantur, bella geruntur, salus regum & Rerumpub. constat, inquit Salomon Prouerb. 24 Sapiens recedit à malo, stolidus præcipiti confidentia & iracundia in exitium ruit, Prouer. 14. Doctrina sapientis est scaturigo vitæ, ad recedendum à tendiculis mortis, prouer. 13.

XLVI.

Et cum mundani homines maximè se sapere arbitrentur, si procul abiecta mortis finisque sui consideratione, negotijs, aut voluptatibus huius seculi sese totos immergunt: toti in eo sunt verè cœlestis sapientiæ studiosi, ut cum viro Dei Mose numerare discant dies suos, siue, quod eodem redit, vitæ suæ breuitatem meditentur, animumq̃ ad illam sapientiam adiungant, quæ nobis notam facit semitam veræ vitæ, satietatem gaudiorum ante Dei faciem, & amantatem ad dextram eius in æternum.

Pfal. 19.

Pfal. 16.

XLVII.

Prodit

VII

Prodit autem sese statim ingruente, vel minimo pe-
riculo, aut aliqua calamitate, illius mundanæ sapientiæ fa-
tuitas & miseria: siquidem subito eos inuadit formido,
trepidatio, horror, ut quò se uertere debeant, nesciant,
dum pij & verè sapientes in Dei voluntate, & in sua voca-
tione alacres acquiescunt, & quando hinc migrandum est,
quò & quà eundum sit, optimè norunt.

XLVIII.

Æternam enim & cœlestem sapientiam didicerunt, & si
maximè in nonnullis aliquando desipiunt, maturè resipi-
scunt, & ad Dominum conuertuntur.

XLIX.

Contrà, filij huius seculi similes sunt fatuis illis virgi-
nibus, quæ oleo destitutæ, lampades accendere, & sponso
obuiam ire non potuerunt, atq; à nuptijs exclusæ fuerunt. Mat. 25.

L.

Hæc cum ita se habeant, ne excludamur à nuptijs Agni,
id est, à regno cœlorum, & omnia nostra ordine dispona-
mus, apponamus cor ad veram sapientiam, in eius studi-
um dies noctesque incumbamus, insanorum hominum
fannas & opprobria contemnamus: quos Deus ipse de cœ-
lis subsannat, quique serò nimis fatuitatem suam agno-
scent, quando nec sapientiæ, nec resipiscentiæ amplius e-
rit locus.

LI.

Quod si cui deest sapientia (inquit Iacobus) postulet à Iac. 1.
Deo, qui dat eam omnibus benignè, & dabitur ei possi-
denda, si cum fide postulet, & eam thesauri instar studiosè
custodiuerit.





Precatio ad Deum pro obtinenda sapi-
entia, ex cap. 9. & 10. lib. Sapientiaē descripta
Paraphrasticē

Deus sanctorum nostrorum maiorum, qui in te spe-
rarunt: & Domine misericordia, qui omnia verbo
tuo potente effecisti, & hominem imprimis sapientia
tua constituisti, ut dominetur reliquis creaturis, quae
in his terris cernuntur: ut cum sanctitate, cum iu-
stitia & animo recto, tum iudicia publica exerceat, tum reliquas
officij partes administret: Da mihi, quae so, humili & infirmo ser-
uulo tuo, homini tenuissimi iudicij & intellectus, per & propter a-
ternam illam tuam sapientiam throno tuo assistentem, Spiritum
sapientiaē & iudicij, Spiritum, inquam, illum qui scit, quid placeat
in oculis tuis, & quid rectum sit iuxta mandata tua. Emitte, o De-
us, e sanctis caelis, a throno gloriae tuae Spiritum illum sapientiaē, ut
praesens adsit, & versetur mecum in omni labore & opere meo, co-
gnoscamq; & agam, quae grata sunt apud te: Ille, ille enim nouit o-
mnia, atque intelligit, estq; ducturus me in actionibus meis, in se-
mita rectam, ut pie, moderate & sapienter in uocatione me geram,
& idem conseruaturus ad gloriam sempiternam. Quis enim ho-
minum (heu) Dei omnipotentis consilia cognoscat, aut quis ex se
cogitare possit, quid velit Deus, multo minus suis id prestare uiri-
bus? Siquidem mortalium ratiocinationes infirmae sunt, & insta-
biles atque uanae cogitationes eorum, quia obnoxium corruptioni
corpus animam aggrauat, & deprimit terrena habitatio mentem
multis curis plenam: ita ut uix ea quae in terra sunt, utcunque con-
iciamus, & quae ad manus & ante pedes sunt, egrè apprehenda-
mus: tantum abest, ut caelestia illa & sempiterna ex nobis perue-
stigare possimus. Sapientia certè donatus à te Noè; diluuiio ter-
ram inundante, mirabiliter seruatus fuit: per sapientiam & se, &
totam patris familiam, totumq; Aegypti regnum seruauit castus
ille &

VII

ille & sapiens Ioseph. Hanc verò qui vel præterierunt, vel à te non
petierunt, non tantùm res bonas haud adepti sunt: verùm etiam
varia stultitiæ suæ monimenta reliquerunt. Illam itaque veram,
illam cœlestem sapientiam obnixè & demissè, mi Deus, à te peto:
fac, quaeso, illam obtineam, & retineam omnibus vitæ diebus, ut &
grata tibi efficiam, & proficiam in dies, donec illa dies illucescat,
qua in cœlis ipse contempler & te, & sapientiam tuam,
& hac contemplatione beatus in secula
vivam. Amen.



Handwritten text in a historical script, likely Latin or German, appearing as bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several lines and is significantly faded.



Umg. VI 45


ULB Halle 3
002 379 767



s. b.


WDA





14

I

THESES THEOLOGICÆ.
DE
SAPIENTIA
CHRISTIANA,
DE QUIBUS IN PUBLICA DIS-
SERTATIONE SUB PRÆSIDIO
DANIELIS TOSSANI S. THEOLOGICÆ
D. ET PROFESSORIS RESPONDEBIT, E-
*ruditus inuenis, Theologia studiosus, & Ele-
toralis collegij (quod Sapientia vo-
cant) alumnus,*
Adolphus Hanzelerus Morsensis.
In Auditorio Theologico
Ad diem IX. Aprilis.

HEIDELBERGAE
Typis Christophori Leonis.
An. MD. CXXVII.

